



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Svmmae Virtvtvm, Ac Vitiorvm , Tomus ...

Guilelmus <Peraldus>

Lvgdvni, 1585

De desperatione, & vnde prouenire consueuit. Cap. XVI.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46161](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46161)

non solum displiceat ei Deo seruire, sed etiam viuere. ¶ Notandum tamē est, quòd tædium huius vitæ prouenit ex diuersis causis. Quandoque prouenit ex Dei amore & desiderio cælestis patriæ. Vnde Greg. Sancti grauitèr tolerant quicquid non sonat id quod amant. ¶ Quàdoque etiam prouenit ex cōsideratione malorū quibus mūdus plenus est. Vnde Ecc. 2. Tēruit me vitæ meę videncē mala vniuersa esse sub sole & luna, & cunctā afflictionē & vanitatē spiritus. Et eiusdē 4. Vidi calumnias quæ sub sole geruntur, & lacrymas innocentium, & neminē consolatorē, & non posse resistere eorum violentiæ, &c. ¶ Quandoque prouenit tædiū vitæ ex vehemētia tribulationis. vnde Iob 10. Tædet animā meā vitæ meæ. Et 2. ad Cor. 1. Super modum grauati sumus, ita ut tæderet nos etiam viuere. ¶ Quandoque etiam prouenit ex acedia, ad quod possumus referre quod legitur 3. Re. 19. de Elia, qui petiit animæ suæ vt moreretur, proiecitque se subter vnam iuniperum, & obdormiuit, & ecce angelus Domini tetigit eum, Et subditur quibusdam impositis, quòd iterum obdormiuit.

De Desperatione. & vnde prouenire consuevit. CAP. XVI.

Desperatio est vltimum vitium pertinens ad acediam. Solet autem prouenire desperatio ex nimia tristitia. Vnde Prou. 13. In mœrore animi deiicitur spiritus: scilicet in profundum desperationis. Et eiusdē 17. Spiritus tristis exccat ossa. Tristitia etiam fortem animam excæcat ab humore gratiæ vt per peccatum desperationis frangatur. vnde Eccl. 14. Felix qui non habuit animi tristitiam, & non excidit à spe sua. ¶ Et notandum quòd peccatum desperationis valde displicet Deo. vnde dicit Hier. super Psal. 108. quòd magis offendit Iudas Deū in hoc, quòd ipse se suspendit, quā in hoc, quòd Dominū tradidit. Valde etiā placet diabolo: quia ille qui dicit verbum desperationis, dicit malū verbum quod dicūt illi qui victi sunt. Et ideo diabolo valde grātū est, qui est aduersarius noster. vnde Prover. 14. Si desperaueris in die angustia lapsus, minuetur fortitudo tua. Multū valet spes seu fiducia in Deo ad fortitudinem. vnde Esa. 40. Qui sperant in Domino, mutabunt fortitudinem. Fortitudo enim Dei quòdammodo eorū efficitur, quia de ipsa eis subuenitur. Ideo in Psal. dicitur: Sperans in Domino, non infirmabor. Cū fortitudo Dei sit eorū qui sperant in Deo: sicut Deus non infirmatur, ita nec illi qui in Deo sperant. Hac de causa dictū est illud Psal. Non derelinquet omnes qui sperāt in eo. Sicut vanitatis est fulcimentum negare innitenti: ita veritatis est non negare. Vnde quum veritas Deus sit, confidenti de se nō negat auxilium. Ideo

ipse dicit in Psal. Quoniam in me sperauit, liberabo eum.

¶ *De remedijs contra desperationem.*

S V M M V M remedium cōtra peccatum desperationis est, memoria Dominicæ passionis. vnde Bern. Peccauit peccatum grande: conscientia mea turbabitur, sed non perturbabitur, quia vulnerum Domini recordabor. Qui tam ad mortem quod non morte Christi soluatur? Si in mente venerit tam potens tamque efficax medicamentum, nulla iam possum morbi malignitate terreri. ¶ Secundum remedium est, cōsideratio magnæ virtutis quam habet pœnitentia. Est enim pœnitentia medicina contra quâ nulla spiritalis infirmitas præualet. Eccl. 10. Si spiritus potestatem habentis super te ascenderit, locum tuum ne dimiseris, quia curatio cessare facit peccata maxima. Et beatus Martinus legitur dixisse diabolo. Si veram pœnitentiã posses habere, ad hanc veniam posses consequi. ¶ Tertium remedium est, cōsideratio illarū personarum, cum quibus dominus legitur misericorditer egisse. Vnde Bern. Omnino propter mansuetudinem quam te prædicatur currimus post te domine Iesu, audientes quod non spernas paupertatem, peccatores non horreas. Non horruit confitentem latronem, non lacrymantem peccatricem, non supplicentem Chananzam, non deprehensam in adulterio, non cadentem in teloneo, non supplicentem publicanum, non negantem discipulum, non persecutorem discipulorum, non impugnatorem crucifixores tuos, ideo in odorem vnguentorum tuorum currimus. Potest etiam valere contra desperationem illud quod legitur Luc. 15. Dico vobis, quia gaudium est angelis, &c. Ad idem valet quod legitur de filio prodigo, de quo dicitur, quod cum adhuc lōge esset, vidēs eum pater eius, misericordia motus est, & occurrens cecidit super collū eius, & osculatus est eum. Præterea, quis dominus exheredatus à terra sua & hominibus suis, non gaudeat de eorū recuperatione? Quomodo ergo non gaudebit Dominus de conuersione peccatorum? Ad idem potest valere, si attenatur magnitudo odij quod habet Deus contra peccatum de quo dictum est supra in principio. Ex hoc patet quod destructio peccati plus placet Deo, quàm ipsi peccatori.

De acedia claustralium, & duodecim malis quæ ex ea proveniunt.

C A P V T X V I I.

P RÆTER istam diuisionē peccatorū, cuius membra iam persecuti sumus, sunt multæ aliæ diuisiones pertinentes ad peccatum acediae, quas præmittimus, nisi quod de vna breuiter tangemus. ¶ Notandū est ergo quod acedia potest diuidi in acedia
seculari